



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

Warinus S. Idae filius, primus Abbas Corbeiensis, Ordinis S. Benedicti

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

simile memoria pastorem Abbatissa Herwordiensi
rebetare, & manifeste ostendere dignata est tem-
pore S. Meinwerci Episcopi Paderbornensis, qui
& hanc visionem per varias examinationes pro-
bavit & approbavit, & hunc locum ad honorem
ejusdem S. Dei Genitricis Mariae consecravit. Il-
lustratus deinde hic locus est insigni Mona-
sterio sacrarum Virginum, quod modò ejecta
religione Catholica à Lutheranis quibusdam
Virginibus insidetur; visiturq; adhuc sub in-
gressum chori truncus ille in cujus superfixa
cruce Beatissima Virgo se spectandam dedit.

WARINUS

Monasterii Corbeiensis

ad Visurgim Primus
Abbas.

*Habetur inter Sanctos in Monasterio Corbei-
ensi, ubi in ara Principe inter alias indigetum Di-
vorum imagines ejus statua collocata est, cum hac
inscriptione: S. Warinus Abbas Corbeiensis.
Mentionem quoque illius facit Papebrochius in
Actis SS. die 2da Junii ad vitam S. Stephani E-
piscopi & Martyris, olim Corbeiensis Mona-
chi pag. 234. n. 15. Natus est illustrissimis piis-
simisq;*

simisq; parentibus Egberto & S. Ida Westphaliae Comitibus, uti constat ex Historia translationis S. Pusinae Virginis apud Papebroch in Actis SS ad diem 23 Aprilis pag. 171. n. 2. ubi ita de illo legitur: Quo in Monasterio (Corbeiensi) primus Abbas institutus est Warinus nobilissimo genere propagatus: fuit enim genitus Ehberto clarissimo Comite & Duce, matre splendidissima nomine Ida. De S. Ida in hac prima parte non agimus, quia licet Arnoldus Wion l. 3. ligni vitae in suis notis ad diem 4tam Septembris scribat eam fuisse natione Westphalam, dicatq;: ejus pater fuit Westphaliae Comes, à quo tradita fuit in matrimonium, sic jubente ac procurante Carolo M., cuidam Egberto Principi; contrarium tamen videtur satis clarè colligi in ejus vita ab Vffingo Monacho Werzhinensi olim conscripta, relatâq; à Surio ad diem 4tam Septembris, ubi dicitur in has terras venisse è Gallia, additûr q; c. 8. de ejus Sacellano B. Bertgero: erat autem præfatus Bertgerus ex illorum contubernio, quos B. Ida primùm de Gallis secum advexerat. Idem significat Heribertus Rosvveydus in Fastis Sanctorum, ubi sub lit. 1. sic de ea scribit: S. Ida vidua Comitissa Boloniensis 4 Septembris. Agemus tamen de eanti & de Vener. Egberto ejus conjuge in aliis hujus

hujus opusculi partibus secuturis, ubi referemus
 eorum ~~Sanctorum~~ *Sanctorum* vitas, qui sanctè vixerunt aut
 mortui sunt in Westphalia, tamen si natione West-
 phali non fuerint. Sedem Comitatus sui habue-
 runt pii conjuges Hovestadium ad oram Lupiae
 olim ab aula statione sic appellatum, uti ostensum
 est ad vitam S. Hadwigis Abbatissa Hervordi-
 ensis; fueruntq; Fundatores Ecclesiae Parochia-
 lis in Hertzfeld Diocesis Monasteriensis, ubi ad-
 huc requiescit S. Ida è Regione arcis Hovestadiae.
 Warinum horum filium vocamus primum Ab-
 batem Corbejensem, tum quia vocatur in histo-
 ria transl. S. Puffine, loc. supra citato, & ab
 Imhofio in notitia Procerum l. 3. c. 16. n. 12: Tum
 quia jam ante octingentos & amplius annos sic e-
 um appellavit Ludovicus Pius Imperator & Mo-
 nasterii Corbejensis Conditor in suo diplomate da-
 to ad annum 832, & citato à Schaten to. 1. Annal.
 Paderborn. pag. 90: ubi sic inquit: Ad Mona-
 sterium, quod vocatur nova Corbeja, quod
 construximus in Saxonia in honore S. Ste-
 phani Protomartyris, cui modò praest fide-
 lis & propinquus noster Warinus, Primus
 Substitutus Abbas, &c. Ratio est, quia S.
 Adelhardus Abbas Corbeja Gallice, quem aliqui
 etiam Corbeja Saxonica primum Abbatem vocant,
 fuit tantum ejus Administrator, & primus Con-
 structor.

structor. Mirabile est, quod de hoc Monasterio refert Bucelinus to 2. Germ. Sacr. pag. 163. Max eo Imhofius in notitia Procerum l. 3. c. 26. n. 12, habuisse hoc Monasterium inter alios à Numine favores hunc præcipuè, ut quotiescumque aliquis è fratribus moriturus erat, triduo antequam vitâ excederet, præmoneretur lilio coronæ cujusdam aureæ in choro suspensæ, quod prodigiosè deponebatur & apparebat in sede, seu stallo, ut vocant, fratris morituri, eratq; signum certissimum, eundem triduo post moriturum esse. Id miraculum aliquot sæculis constanter tenuisse; donec frater quidam juvenis de imminente morte sic præmonitus, contemptâ monitione liliū illud in senis Religiosi sede collocaret: quo quidem signo territus senex ægrotare cœperit, mox tamen convaluerit: juvenis verò contemptor tertiâ die repentina morte extinctus fuerit. *Vita Warini, quam hic subjicimus, compilata est tum ex Scateno to. 1. Annal. Paderb. tum ex historia translationis S. Viti apud Meibomium, & continuatores Bollandi in actis SS. ad diem 15tam Junii.*

Monasterium Corbejense in Westphalia, ex quo postea velut ex equo Trojano innumeri Episcopi & Regionum Septentri-

rionialium Apostolo prodiere, ab Impe-
 ratore Ludovico Pio ædificari cœptum est
 anno 822 procurante S. Adelhardo Abbate,
 qui ejusdem & Corbeia Gallicæ administra-
 tionem usque ad suprema fata conjunctam
 tenuit, ut surgenti Monasterio pro authorita-
 te apud Imperatorem habita opportuniùs
 consulere. Primus celeberrimo huic Reli-
 giosorum cœtui cum titulo Abbatis præfuit
 Warinus ex Illustrissima Comitum Westpha-
 licorum familia genitus, Patre Egberto, cui
 Hovestadii ad Lupiam dominatûs sui prima-
 ria sedes fuit, & Matre S. Ida Ecclesiæ Hertz-
 feldiensis conditricem. Is cùm in flore juve-
 nili eximie pulchritudinis ac nobilitatis Vir-
 ginem sibi desponsatam haberet, & jam jamq;
 à Ludovico Cæsare inter præcipuos palatii
 sui Proceres referendus esset, contempta re-
 rum humanarum caducitate maluit æterno
 Numini servitia sua in posterum consecrare,
 quàm perituro Regi inter aulæ terrestres de-
 licias ulterius adhærescere. Ità abeuntem re-
 cepit Corbeia Francica, ubi sub regula S. Be-
 nedicti vitæ spiritualis tyrocinia eo fervore &
 alacritate posuit, ut jam tunc S. Adelhardus,
 cui paulatim ætatis suæ tempora ad metã de-
 currebant, animo suo secum volveret, cum

in Corbeia nova sibi successorem facere, atque ita sui oneris ac molestiarum partem in ipsum reclinare. Tamen enim adhuc juvenis, & nulla annorum multitudine gravis esset, maturitas tamen excellentis iudicii & animi non vulgaris decora certò promittebant fore, ut, qui vitam religiosam ab ejusmodi perfectione & rerum sæcularium contemptu ordiri cœperat, eandem non minoræ Sanctitatis gloriâ consummaret. Et sanè Adelhardum hac sua opinione minimè deceptum esse, brevè constitit. Cùm enim non multò post idem Beatus Abbas ex illapsa febri mortem oppetiisset, ii quidem qui in Corbeia Francica agebant Monachi, Waloner S. Adelhardi fratrem; qui verò in Westphalica morabantur, Warinum elegere, in quem pro suæ sanctitatis & virtutum merito omnium suffragantiû vota conspiraverant. Quæ tum hæc electio utilitatis & commodi posteritæ docuerunt annorum subsequentium relictæ in fastis tabulæ. Præterquam enim quòd doctrinâ, sapientiâ, integritate, disciplinæ ac religionis fervore inter Sanctissimos ejus Sæculi Præsides numerandus esset; suâ quâ apud Reges ac Cæsares pollebat auctoritate, tot bonis fortunisque; Monasterium illud

lud exornavit, ut alterum illius conditorem jure merito appellare liceat. A Ludovico Pio jam supra memorato statim ad ingressum sui regiminis impetravit *villam Huxeri*, quæ nunc in urbem versa Huxaria dicitur, cum omnibus circum agris, silvis, pascuis & aquarum decursionibus: à Lothario ejus Successore totam [a] insulam Rugiam in finibus Pomeraniæ ad oram maris Balthici: à Ludovico Germaniæ Rege villas alias, prædia ac possessiones plurimas; quarum accepta largitione ita Corbeiam auxit, ut ex inope cœnobio etiam magni cujusdam Episcopi patrimoniū videri posset. Neque tamen interea dum pro amplificandis Monasterii sui bonis tam præclare Warinus ageret, minorem operam conferre visus est in acquirendos thesauros sacros, quàm in profanos. Ceperat illum ab annis pluribus non modicus fervor ac sollicitudo, comparandi sibi unum alterumve Divorum corpus in majus Ecclesiæ suæ decus ac præsidium. Occurrebant inter alia etiam reliquiæ S. Victorici Martyris in urbe Ambiano: sed cum illas frustra flagitasset ab loci illius incolis, tandem Hilduinus Parisiis ad S.

Bb 2.

Dio-

[a] Schaten to. 1. pag. 128 Chronic. Corbei. apud Meibom.

Dionysium Abbas ingentium erga se beneficiorum magnitudine victus, offerebat corpus S. Viti Martyris, olim à [b] Fulrado Abbate Româ in Gallias deportati. Placuit Warino tam illustre donum, præsertim quòd aliunde compertum esset ex eo tempore, quo corpus illud ad S. Dionysium conquevisset, nunquam fulgura ac tempestates vicinis circum agris hominibúsq; damnum intulisse. Ne mora, cum selecto Monachorum clientum agmine contendit in Franciam: venit Parisios, obtinetur consensus Episcopi, aperitur thesaurus sacer, & Warino in manus traditur quem ille ignâ Martii summa veneratione templo extulit, Hilduino ad aliquod spatium inter festivos Clericorum & Monachorum cantus deducente. Inde per cœnobium [c] Rasbacense, quod nuper Ludovicus Pius eodem Warino gubernandum dederat, rectè itinere in Saxoniam profecti, Aquisgranum primò, tum Susatum, mox Brachelium in agro Paderbornensi, ac denique 13tia Junii Corbeiam attigère. Incredibile dictu est, quan-

[b] Anno circiter 756 ut putat Papebroch.

[c] Rasbacus vel Rasbacum Monasterium à S. Audoeno conditum in Diœcesi Meldensi, & Salto Brigenti in Gallia prope Matronam fluvium.

tus ibi ex univertâ Westphalia Ostphaliâq;
hominum confluentiû accursus fuerit: quip-
pe quos exciverat admirabilis illa prodigio-
rum fama, quæ toto hoc itinere exuvias tam
sacri corporis assiduè consecuta fuerant: In-
tegro [d] milliari & amplius per circuitum istius
monasterii tabernaculis nobilium virorû ac mu-
lierum replebantur campi & agri; nec erat inter
omnes, ex cujus ore jocus ullus aut verbum obscæ-
num caderet; sed solis ferè precibus diu noctûq; in-
tenti, continuas Deo laudes gratiâsq; concinebant.
Incidit hæc translatio in annum Christi 836,
& Watinus vitam exinde suam ulterius pro-
duxit usque ad annum 856, quo tandem ad
gloriam in cælo immortalẽ abiit die 26^{ta}
mensis Septembris, postquam Monasterio
Corbeienti sanctissimè præfuisse annis 30,
mensibus 4 diebus 25.

Illud hoc loco pro coronide superioris hi-
storix omittendum non est, quod Martinus
Polonus, [e] Meibomius, [f] Schatenus, [g]
Papebrochius & alii notant, Imperii Romani
sceptra, quæ cum corpore S. Viti ad manus

Bb 3

Fran-

[d] *Histor. transl. S. Viti n. 23.* [e] *Meibom.*
post Histor. transl. S. Viti. [f] *Schaten to. 1. An-*
nal. pag. 110. [g] *Papebroch. post Hist. transl. S.*
Viti in fine.

Francorum venerant, eodem ad Saxones deportato, etiam ad Saxones & Germanos paulatim commigrasse, rebus Francorum per diffensiones ac intestina praelia multum imminutis. Verba Martini Poloni sunt: *Eodem tempore ossa B. Viti Martyris à Parisiis transferruntur in Corbeiam Saxoniae Monasterium: unde testati sunt ipsi hoc in praefugium contigisse, quia ab illo tempore gloria Francorum, quantum ad Imperium, translata est ad Saxones.* Idem clare confessus est [h] Carolus Simplex Francorum Rex missa ad Regem Henricum ablegato dum inquit: *Postquam nos deseruit insignis Martyr S. Vitus, ad nostram perniciem retrò omnia fluxere: pax verò & concordia regnandi in Saxoniam transit.* Quae tecum communicari placuit; neque enim ex illo tempore civilia apud nos externaq; bella unquam cessavere. Unde antiqui illi versus quos infra historiam dictae translationis refert Meibomius, & cum e Schaten, ac Papebrochius locis citatis:

*Felix Saxonia, gaude per pignora cara
Viti ditata, quae dat tibi Francia grata!*

& post aliquot versus

*Ex tunc translatum fuit à te Francia Sacrum
Imperium, Divi quo nunc gaudent Alemanni*

B. WIDE-

[h] Schaten loco cit.